

*Johann, Graf von Holstein und Stormarn, stiftet eine Vikarie im Kloster Preetz und stattet sie aus.*

Uniuersis presentia visuris Iohannes dei gratia. Comes holtzatie et stormarie in vero salutari salutem. Quoniam varias temporum mutationes varii rerum comitantur euentus expedit|| vt ea que sortiri debent inuiolabilem firmitatem scriptis et testibus perhennentur. Scire cupimus tam posteros quam presentes. quod nos ad honorem domini nostri Iesu cristi et gloriose|| matris sue virginis Marie. sanctorumque apostolorum Petri et Pauli. atque ob remedium et salutem animarum dilecti patris nostri comitis Iohannis ac dilecte matris nostre. Elyzabeth in Porez|| sepulte, ac animarum progenitorum nostrorum, atque nostre dilecte coniugis nostre Margarete, et hereduū nostrorum, accedente ad hoc consilio et consensu, auctoritate venerabilis patris domini nostri|| Lubicensis Episcopi, instaurauimus in Porez apud Sanctimoniales vnam vicariam, ad quam de bona voluntate et pleno consensu dilecti fratris nostri, comitis Adolphi, et filiorum nostrorum Cristophori et|| Adolphi. dimidietatem ville porsvelde et dimidietatem ville ylsol, cum omni iure et iudicio maiori et minori, cum omni libertate et proprietate, cum piscationibus, pascuis, pratis, agris|| cultis et incultis, lignis, silvis, nemo-ribus, paludibus, cum omnibus suis attinenciis, sicut eas possedimus, liberaliter assignamus. Ad illam autem vicariam dilectum nobis dominum Henricum|| nunc prepositum Porezensem presentauimus, quem de illa dominus noster Lubicensis

Episcopus investiuit. Volumus itaque ut iam dictus dominus henricus prepositus redditus dimidietatum dictarum villarum cum suis attinentiis|| omnibus tollat et percipiat, et per se vel per alium sacerdotem. omni die missam celebret ad altare dicte vicarie deputatum. Ceterum volumus, ut post dicti domini henrici obitum de redditibus|| dimidietatum dictarum villarum. Sex marcarum redditus ad officium custodie, Sanctimonialium Porezensium perpetuo cedant, ita ut quecunque dominarum custos pro tempore fuerit, illa de|| iam dictarum sex marcarum redditibus ad omnia altaria in Porez et ad omnes ecclesias prepositure Porezensis oblatas et vinum ad missas perpetuis temporibus exhibeat et ministret.|| Residuos autem redditus de dimidietatibus predictarum villarum prouenientes prepositus Porezensis, quicumque] pro tempore fuerit tollere et percipere debet ad vsus monasterii et dominarum sed vno capell||lano plus quam modo prepositus habere et tenere suenit, ad altare dicte vicarie officendum tenebit, qui quidem capellanus, ad altare vicarie assumptus si in moribus et vita preposito qui pro|| tempore fuerit displicuerit, prepositus illum dimittet pro suo placito, et alium assumet magis ydoneum loco sui. Adicientes preterea terminos dimidietatum prefatarum villarum cum suis|| colonis terminis prepositure, et sub eodem iure et iudicio collocantes, ut quemadmodum alia bona per preposituram constituta, a nobis et nostris progenitoribus detinent, et detinuerunt, ita hec|| eadem pacifice perpetuo possideant et quiete. Ut autem omnia et singula premissa robur perpetue firmitatis optineant. presentem paginam inde confectam, Sigillis, videlicet antedicti|| venerabilis domini nostri. Lubicensis Episcopi. nostro, dilecti fratris nostri, Comitum Adolphi, dilectorum filiorum nostrorum, Cristophori et Adolphi, fecimus communiri. Testes huius rei sunt. Iohannes decanus.|| Magister Seghebandus Thesaurarius. Helembertus. Scolasticus. Ecclesie Lubicensis. Iohannes porcus. Marquardus Westense. Hartwicus wlf. Elerus de Torente. Tymmo Blok. Henricus|| de dame. Iohannes de Renowe. Otto de golenbeke. hermannus de lakke. Bertoldus de Wensine. Milites. Tymmo de Godendorpe. Otto splyt tunc temporis aduocatus. Elerus de Werleberghe. Thetlevus de Ruce, Marquardus de horst. Lambertus de Crempize et alii plurimi fide digni. Datum et actum Poretze. anno domini Millesimo|| Trecentesimo. Sexto, In die purificationis beate Marie virginis.

*Original im Archiv des Klosters Preetz. Fünf Seidenschmüre mit drei Siegelfragmenten. S. H. U. S. I. S. 224.*